



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

381. An Coadjutus infirmus vel alià legitimè impeditus habendus sit pro
præsente & inserviente, etsi Coadjutor non inserviat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

apud Castropal. *trad.* 13. d. 1. p. 10. n. 2. quamvis adhuc æquum sit, Coadjutorem in se suscipere partem sollicitudinis. Remouch. *loc. cit.* n. 6. Verum distinguendo hæc ipsa melius,

2. Resp. secundò. Quòd si tamen ecclesia aut subditi damnum aut interesse spirituale, vel temporale juxta qualitatem necessitatis narrata in Bulla paterentur ex culpa vel mora Coadjutoris, differentis subire onera stante impedimento Coadjuti, tenebitur in conscientia supplere Coadjutor, idque vel maximè in Ecclesiis parochialibus. Remouch. *loc. cit.* n. 3. & 4.

3. Resp. Tertio. Etiam præscindendo à tali damno animarum, dum v. g. est Coadjutor respectu beneficii aut dignitatis non habentis curam animarum, vel, si habet curam animarum, Coadjutus per seipsum absolute potest subvenire, Coadjuto sic volente, adhuc tenebitur Coadjutor pro eo deservire, & aliàs teneatur illi ad damnum, & interesse. *Garc. p. 4. c. 5. n. 56.* etique inhærens Castropal. *l. c. n. 7.* Idque etiam si in literis Coadjutorie non dicatur, quòd teneatur inservire, uti aliàs sæpe & modernis præcipue Coadjutoris (intellige, respectu canoniciatum & rectoriarum parochialium) ad majorem eamtelam & abundantiam solet exprimi, quòd Coadjutor requisitus teneatur inservire, alioqui teneatur solvere principali, quidquid propterea amiserit seu lucrari desiderit. *Gonz. gl. 5. §. 9. n. 122.* siquidem id est ex vi coadjutorie assumptæ seu ex natura officii; assumitur enim coadjutoria, ut coadjutus se excusare possit ab obligatione assistendi seu inserviendi, sed si coadjutor non haberet obligationem inserviendi, coadjutus non esset excusatus; ergo, ut ipse excusatus sit, sibi que provideat assumendo coadjutorem, judicandum est, transferre in coadjutorem obligationem, quam ipse habet. *Castrop. & Garc. l. cit.* Neque obligatio hæc inde eliditur, quòd nihil detur tali coadjutori pro servitio; hoc enim ipse sibi imputet, quia ita coadjutoriam accepit; maximè tamen, quia tale servitium compensatur futura successione, quæ ei à Papa conceditur in compensam laboris. *Garc. n. 57. Castrop. loc. cit.* Remouch. *c. 13. n. 4.* Porro hanc obligationem inserviendi non tantum esse causativam, id est, ut teneatur solvere coadjuto, quidquid is non serviendo perdidit, seu lucratus non est; sed & præcisam, ita ut ad servandum cogi possit per judicem censuris aliisque juris remediis; quia ipse se obligavit seu consensit tali obligationi, tenent *Garc. Castrop. l. cit. contr. Gonz. l. c.* quæ sequitur *Remouch. l. c. n. 2.* dicentis, sic communiter tenent DD. de quò plura paulò infra, ubi de obligatione residendi coadjutoris.

4. Resp. quarto. Coadjuto infirmo aut legitimè impedito volente tamen, ut coadjutor loco sui inserviat, teneatur is inservire. *Castrop. l. c. n. 6.* citans *Garc. & Farin tom. 2. decis. noviss. decis. 276.* & *Rot. in Terracon.* Coadjutor enim in hunc finem datus est, ut impedito Coadjuto ipse loco illius inserviat, ne ecclesia debito servitio defraudetur, ut constat ex *c. 1. de cler. agror. in 6. & Trid. sess. 25. c. 6. Castrop. l. c.* Neque obstat primò, quòd Coadjutor repræsentet personam Coadjuti, ad quod; hoc ob legitimè impeditum excusato à servitio, videatur quoque; excusatus Coadjutor. nam repræsentat ejus personam in præbenda, non in infirmitate aliòve impedimèto, & sic competunt ei prærogativæ, quæ còpetunt Coadjuto ratione præbendæ, non verò quæ còpetunt Coadjuto ob infirmitatē *Castrop. l. c. n. 7.* Neque obstat secundò, quòd in Coadjutorē translata sit obligatio, quæ habet Coadjutus, is autè tempore justè impediti nullam habeat obligationem. nã pari modo responde-

P. Leurentii Tract. 11. De Coadjut.

tur, translata esse in Coadjutorē obligationem, quam habet Coadjutus ratione præbendæ; non tamen translata in eum personales excusationes Coadjuti *Castrop. l. c.* Porro an Coadjuto agrotante aut legitimè impedito, non possit ejus loco deservire Coadjutor, sedere in choro &c. nolente Coadjuto, sive non nisi de ejus consensu, dicitur *cap. seq.*

Quest. 381. An Coadjutus infirmus vel aliàs legitimè impeditus habendus sit pro presente & inserviente, etsi Coadjutor non inserviat.

R Esp. Affirm. *Garc. p. 4. c. 5. n. 63.* ed quòd licet Papa concedere soleat Coadjutores, quia ob ingravescentem ætate seu infirmitates principalis comòde deservire & onera perferre nõ potest, prout narratur in Coadjutoris, non tamen propterea arctet aut obliget principale, ut utatur Coadjutorē aut prohibet principale uti jure suo aliàs ei competente, ac propterea nullo id jure prohibetur. Ad hæc Coadjutus nõ debeat esse deterioris conditionis ex eo, quòd Coadjutorē habeat. neque privilegium suum debeat ei esse nocivum, & retorqueri in ejus damnum, quòd ad ejus favorè concessum juxta *c. quod ob gratia. de reg. jur. in 6. & c. ad apostolica. de regul.* citat *Garc. Navar. conf. 2. de cler. agror. in 6. & idem tenet Gõz. ad reg. 2. gl. 5. §. 9. n. 119. & seq. Castrop. cit. p. 10. n. 9.* qui etiã ait perinde esse, sive in hoc casu coadjutus velit coadjutorem inservire, sive non. Unde iam etiam coadjutus potest gaudere mensibus datis pro quiete & recreationis gratiã perinde ac alii canonici, sive coadjutor residet sive non; quia in illis non tenetur interesse divinis neque per se neque per alium *Garc. n. 64. ex Navar. loc. cit.*

Questio 382. Quandomam Coadjutor non teneatur inservire?

R Esp. Dum Coadjutor datus est ex alia causa quã supplenda administrationis coadjuti, vel propter illius impedimètu seu multitudinẽ negotiorum v. g. si causã principalis coadjuti fuisset ut obviametur incòmodis, & periculis, quæ post obitum Prælati in longa sedis vacatione, aut etiã electione oriri possunt; tunc enim coadjutor ad nullum onus & nequidem causativã residentiam tenetur. *Remouch. cit. c. 13. n. 8.* Atque ita idem est, dum Episcoporum & Abbatum coadjutores quandoque designantur magnorum Principum filii in minore etiã ætate, quam ut deservire, & suppleri possint pro Coadjuti. Sic etiã in dignitatibus, & Rectoriis, quæ per Vicarios in spiritualibus, vel etiam in pontificalibus, aliisque ministris administrari solent, Coadjutores iis datos non tenent ad residentiam, aut servitium aliquod, observat *Remouch. l. c. n. 7.* uti id videmus etiam in Coadjutoribus Episcoporum maximè in Germania.

Quest. 383. An teneatur Coadjutor Canonici præter onera sui Coadjuti subire quoque onera juniorum Canonicorum, occasione dubitandi orta ex eo, quòd sedeat post omnes Canonicos?

R Esp. Negat. Subrogatur enim tantum loco sui Coadjuti, neque ipse est Canonicus. *Barbof. jur. eccles. l. 3. c. 10. n. 75. Castropal. loc. cit. n. 44.* citans *Garciam.* Quòd autem sedeat post ceteros canonicos, non ex eo est, quòd sit junior canonicus; sed ex eo, quòd non sit verè canonicus, & fulgeat alienã dignitate. *Barbof. loc. cit.* Unde etiam, ut idem *Barbof. n. 76.* juxta *decis. Rotæ in Elborensis. Apr. 1606.* canonicus junior juxta consuetudinem ecclesiæ debet supplere vices hebdomadarii absentis vel impediti, & non coadjutor, licet sedeat post ultimum canonicum.

N

Questio